



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Alia mixtæ orationis formula continens expositionem salutationis angelicæ  
Ave Maria

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

Consequenter ad ista, bona erunt super rebus quibusdam in particulari concipienda proposita, eliciendique actus oblationis ac petitionis, ut gratiam à Deo illorum exequendorum consequamur.

## CAPUT XXVII.

*Alia mixtæ orationis Formula continens expositionem salutationis Angelicæ Ave Maria.*

*Ave.*

**S**aluto te, Virgo gloriosissima, eodem cum respectu ac reverentia, quâ te salutavit Archangelus in die Annunciationis tuæ. Eodem te sensu & affectu honoro, quo te honoravit per dilectus tuus sponsus Josephus triginta annis illis, quibus tecum remansit. Revereor te eadem cum tenerritudine, aut saltem in unione affectus, quo erga te exarsit, quemque palam tibi exhibuit dilectissimus filius tuus Dominus noster Jesus Christus. Cum omnibus te Sanctis collaudo, tibi que salutationem istam totâ eâ devotione præsentem, quâ unquam illi te salutârunt, quin & in unione illiusmet salutationis, quam Pater æternus ad te transmisit, amorisque, quo tibi illam præsentavit.

Saluto te in immaculata Conceptione tua, in qua ab omni fuisti peccati originalis labe præservata, atque exempta. Saluto te in gloriosa Nativitate tua, in qua mundo virtutibus & gratiis illustrissima apparuisti, tanquam aurora

rorā veri justitiæ Solis Christi Jesu prænunciā,  
ut hominibus spem faceres approximantis sa-  
lutis. Saluto te in sacra tua Præsentatione,  
ubi mundo relicto divino servitio in solitudi-  
ne, silentio atque oratione te integraliter con-  
secrasti.

Toties te saluto, quot sanctas actiones per-  
egisti, imò quot momenta sanctissimæ vitæ  
tuæ transegesti. Saluto te per singulos glo-  
riæ gradus, quos obtines in cælo, ubi es super  
Choros Angelorum elevata, peculiariter hac  
meâ salutatione reverendo omnes gratias, vir-  
tutes, ac merita, quæ te honore, respectu at-  
que adoratione dignam constituunt.

*Maria.*

**O** Maria! sanctissimum, postque filii tui  
nomen omni honore dignissimum! *Ma-*  
*ria*, tempestuosi hujus mundi Maris stella, na-  
vigationem meam deducens à me nunquam  
te absconde. *Maria*, Dæmonibus terribilis;  
*Maria*, peccatoribus misericordissima; *Ma-*  
*ria*, cujus unica recordatio piis animabus in af-  
flictionibus suis solatio est. *Maria*, sub quo  
nomine complecti volo, quidquid Angeli,  
Sancti, adeoque universa cœlestis curia de tuis  
excellentiis, virtutibus, meritis ac perfectio-  
nibus comprehendunt. Sub isto nomine in  
animo meo paucis complecti volo quidquid  
in te unquam admirabile divina potentia ope-  
rata fuit. Tu es Virgo ac Mater Dei, cæli, San-  
ctorum atque Angelorum Regina. Tu spes  
miserorum hominum in suo existis exilio. Pro-  
ferendo nomen tuum honoro abyssalem hu-

militatem, admirabilem fidem, charitatem indeficientem, ineffabilem & continuam orationem, atque unico verbo cunctas eximias virtutes tuas.

*Gratiâ plena.*

**V**erè *gratiâ tu plena es*, quoniam si Deus cæteris Sanctis largitus est ad mensuram, tibi, quæ omnium Sanctorum Regina es, eam contulit in tota sua plenitudine; ut proinde quidquid sanctitatis figillatim in omnibus est creaturis dispersum, in te omninò atque integrè reperiatur congregatum, quia tu sola plus habes cæteris omnibus simul.

*Gratiâ plena es*, ut oceanus aquâ, quam ille omnibus fontibus ac rivis communicat; per te enim gratiarum torrentes in cunctos derivantur fideles. Tu es illa, ex qua processit, qui gratia est essentialis, Dominus videlicet noster Jesus Christus. Tu es plena Spiritu sancto; imò tota sancta Trinitas in te commorans & quasi suavitate atque amore liquefacta in te cunctas perfectiones suas, licet ineffabiles, effudit, adeoque animam tuam adimplevit suavissimo odore omnium gratiarum, virtutum atque excellentiarum, quæ quidem fuerint unquam ulli puræ creaturæ communicatæ; haud sectis atque ubi pretiosum aliquod unguentum super mensam bene tersam atque expolitam effusum fuerit, universa domus repletur odore. Denique verbum hoc *gratiâ plena* tibi ad eò proprium est, ut Angelus te salutans proprio Mariæ nomine non compellârit, sed solummodò dixerit:

*Ave*

*Ave gratiâ plena.* O Virgo gratiæ Mater,  
in me, obsecro, vel guttulam hujus tantæ ple-  
nitudinis deriva.

*Dominus tecum.*

Sicut Deus in suo templo, sicut Rex in suo  
throno, sicut sponsus in suo nuptiali tha-  
lamo, sicut filius tuus in sinu tuo. Patet  
est tecum operans in te supremum, maxi-  
mumque omnipotentia suæ miraculum, u-  
niendo videlicet Humanitatem Divinitati,  
cumque tibi communicando honorem, ut  
æque tu, atque ipse filium habeas, qui sit De-  
us. Filius est tecum descendens de cælo, ut  
virginalem tuum sinum inhabitet. Spiritus  
sanctus est tecum fœcunditatem tibi confe-  
rens illasâ virginitate. *Dominus tecum* à  
primo immaculatæ conceptionis tuæ momen-  
to, quia ex tunc sanctificata nullam deinceps,  
ne quidem, quæ cogitari possit, minimam  
admisisti imperfectionem. *Dominus tecum,*  
& tu cum illo, quia per inseparabilem spiri-  
tus tui cum spiritu illius colligationem atque  
adhæSIONem voluntatem semper habuisti il-  
lius per omnia conformem voluntati. Te-  
cum est in quocumque loco fueris, in qua-  
cumque actione, quam exereueris, atque  
omnibus modis, quibus unquam cum San-  
ctis suis fuit. O Virgo gratiâ plena, quia  
jam cum illo es in cælo, mei non oblivisce-  
re, verùm hoc age, ut aliquando illic tecum  
& cum illo esse possim,

Qui ad-  
hæret Do-  
mino u-  
nus spiri-  
tus est.

1. Cor. 6.

17.

S 3

Bene-

*Benedicta tu in mulieribus.*

Quatuor  
capita, ex  
quibus B.  
Virgo est  
benedicta  
supra  
omnes  
mulieres.

Non ex-  
tinguetur  
in nocte  
lucerna  
ejus.  
Prov 31.  
12.

**V**erè *benedicta* es supra omnes omnino mulieres, quæ Mater simul & Virgo existis: quæ concipiendo Sole purior remansisti, quæ sine dolore peperisti, quæque in Matrem Dei evasisti: *Benedicta* es ac supra creaturas omnes privilegiata, quia postquam à culpa fueras originali præservata, etiam à funestis peccati effectis fuisti exempta. Etenim adversus humanum genus fulminatæ maledictiones super te nequaquam cecidêre: infirmitates corporeæ te neutiquam obruere: nullam unquam partis inferioris rebellionem sensisti, nullam in cogitationibus tuis illic, ubi volebas, defigendis molestiam pertulisti, neque distractiones, neque somnia te conturbârunt, atque usus pacificus & tranquillus intellectus ac rationis tuæ tibi nunquam, ne inter dormiendum quidem, defecit.

*Benedicta tu*, quia in te & per te universus orbis recipit benedictionem, ac licet generatione corporeâ non sis nisi Mater unius Filii, regeneratione tamen omnium Electorum Mater existis. O Virgo dulcissima æquè ac gloriosissima, ab æterna maledictione me præserva, ac benedictione pariter æternâ me cumula.

*Et benedictus fructus ventris tui.*

**Q**ualis enim arbor est, talis & fructus, neque fructus benedictione plenus procedere poterat, nisi ex *benedicta* radice: *Benedictus* est, quia tollit peccati maledictionem supra universum genus humanum effusam,

gra-

gratiæque apportat benedictionem peccatores reconcilians Patri, illisque portam aperiens paradisi. Benedictus est in cælo ab Angelis, in terra ab hominibus cunctisque creaturis, quæ coram eo atque ad nomen illius adorabile genuflectunt.

O fructus ad vescendum bone pulcherque oculis atque aspectu delectabilis, qui fuisti in terra virginei ventris Dominæ nostræ plantatus, qui postquam ex arbore ista decidisses super fœno fuisti in stabulo positus, qui que etiam fuisti in templo præsentatus, illicque benedictus. Fructus cœlestis, qui aspectu tuo Beatos in cælo pascis, qui que hic in terris in Altaribus nostris pro animarum nostrarum remanere voluisti nutrimento. Fructus continens in te omnem saporem, qui esurientes ac sitientes justitiam satias, qui animabus infirmis mederis, debiles corroboras, tristesque exhilaras. Fructus ter benedictæ, qui nasceris in ventre purissimo, castissimo, Deoque dignissimo, me obsecro, cœlestibus tuis ac spiritualibus benedictionibus reple.

*Sanctæ Maria Mater Dei.*

**M**ater, inquam, Creatoris universi, Mater Salvatoris hominum, Mater & scaturigo gratiarum omnium, quæ unquam collatæ fuerint mundo, Mater purissima & cunctis Christianis amabilissima, Mater sacri Ordinis nostri de Monte Carmelo specialissima, unico verbo, vera Mater Dei, supra modum lætor, te fuisse ad supremam hancce dignitatem electam, deq; ea, quam inde habuisti, atque

etiam in æternum in cœlo habebis læticia tibi congaudeo. Utinam tibi possem exhibere omnes illos honores, quos ob istam tam illustrem mereris conditionem; Utinam facere possem, ut te cognoscerent, honorarent, tibi que servirent omnes illi, quibus horrore sunt piæ, at veræ, quas de te concepimus, opiniones, ac sententiæ!

*Ora pro nobis peccatoribus &c.*

**M**Ater Dei, ora pro nobis peccatoribus verè miseris. Recordare, quia absque peccatoribus tu Mater Dei non esses, quia nisi fuisset peccatum, Filius Dei non venisset in mundum: nobis ergò, nobis peccatoribus ex parte debes hunc honorem & gratiam. Mihi igitur tuo nunc interventu opitulare; at præcipuè mortis meæ horam sub tua protectione singulari constituo. Tunc enim ope tuâ per amplius indigebò, ubi Dæmones omnem suum adversum me impendent conatum. cùm tamen ex hoc momento tota dependeat æternitas.

Eja ergò, gloriosissima Virgo, singularis Advocata mea, misericordiæ tuæ oculos ad me converte, & Jesum Christum Dominum nostrum benedictum fructum ventris tui mihi post hoc exilium ostende. Amen.

In fine orationis hujus supra statum tuum te reflectes, atque aliqua concipies bona proposita, tuis, quas ipse cognoveris, necessitatibus consentanea. Deinde peculiariter à Deo per intercessionem sacratissimæ Virginis peres gratiam ea executioni mandandi.